



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvæstio XXIV. De Prædestinatione Christi. In quatuor Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Solutio.

Quomodo Christus, ut homo, sit, vel non sit, Filius Dei naturalis.

Respondeo; Distinguendo Antecedens: Si enim Filius naturalis dicatur, cui esse paternum communicatur per naturalem generationem; sic Christus, ut homo, non est Filius Dei naturalis, sed ut Deus: Si autem dicatur Filius naturalis, cui quouis modo esse paternum communicatum est substantialiter, ita ut substantialiter maneat vnium; sic Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis, quia esse diuinum communicatum est humanitati substantialiter, ratione cuius communicationis hic homo habet ius ad omnia bona paterna: Adoptio autem excludit communicationem realem naturæ Adoptantis. Ad probationem Antecedentis, Respondeo; Etsi Christus, ut Homo, non sit Deus; tamen, ut Homo, est Filius Dei naturalis, non Filiatione æternâ, sed temporali, resultante in humana natura ex vnione hypostatica, seu ex communicatione illa diuinitatis, quæ sit per hypostaticam vnionem. Est autem hæc filiatione naturalis, quia prouenit ex naturali, seu substantiali vnione diuinitatis cum natura humana: non tamen est relatio realis; sed moralis quædam dignitas, fundata in natura diuina sic communicata, & resultans in natura humana, & per eam denominans ipsum Verbum, quatenus est homo. Hinc patet discrimen inter hanc filiationem, & adoptiuam: Nam hæc immediatè fundatur in diuina natura sic communicata humanitati; illa in participatione creata, quæ est radius quidam diuinitatis, non ipsa diuinitas: quò fit, vt infinita sit inter has distantia.

Explicatur filiatione naturalis, qua Christus, ut homo, est Filius Dei, & Deus.

Obiectio.

Dices Secundò, Gratia habitualis erat in Christo, & dabat illi ius ad cælestem hereditatem: ergo faciebat ipsum Filium Dei adoptiuum. Consequentia Probatur; Quia hac ratione constituit nos Filios Dei adoptiuos.

Solutio.

Respondeo; Gratia habitualis non faciebat ipsum Filium Dei naturalem, cum non communicaret illi paternam naturam substantialiter: nec etiam adoptiuum faciebat; quia ratio Filij adoptiuus postulat, vt sit extraneus, & talis maneat, soloque affectu sit filius: vnde includit negationem realis vnionis cum parente.

Cur Gratia habitualis non faciebat Christum adoptiuum Dei, ut facit in nobis

Deinde hæc gratia habitualis supponebat in ipso filiationem naturalem priorem; ex hac enim tamquam proprietate debita sequebatur. At illa communicatio, quæ facit Filium, prima est & principalis, vnde ceteræ manant. Confirmatur: Quia idcirco, qui est filius tuus per naturam, non po-

test fieri filius per adoptionem: quia per illum actum adoptionis non daretur illi prima communicatio; iam enim præcessit naturalis. Vnde etiam si donum gratiæ in nobis, faciat nos filios adoptionis, non tamen in Christo.

Dices Tertio; Christus, ut homo, est Filius totius Trinitatis; non naturalis: ergo adoptiuus. Quòd non naturalis; Probatur: quia alioquin esset Filius naturalis sui ipsius, & Spiritus sancti: quod est contra Concilium Tolertanum X I, in confessione fidei.

10 Obiectio.

Respondeo; Concedo Christum, quæ homo, esse filium naturalem totius Trinitatis, scilicet filiatione temporali, quam habet ratione communicationis diuinæ naturæ factæ in Incarnatione: vt expresse docet Adrianus in dicta Epistola, dñi vult illud Matth. 3, & 17. Hic est Filius meus dilectus, non ad Patrem sed ad totam Trinitatem referri; & similiter illud Ioan. 20. v. 17. Adscendo ad Patrem meum & Patrem vestrum. Quamuis possint hæc valde benè de prima persona diuinitatis & de filiatione æterna intelligi; vt plerique Patres intelligunt. Verum Adriani quoque interpretatio bona est. Hinc tamen non sequitur, ipsum esse dicendum filium sui; quia sic absolute significatur distinctio suppositi: sed addenda est determinatio, quæ illum sensum corrigat: v. g. Christus, ut homo, est Filius Verbi, vel sui, quæ Deus est: sic, Verbum est Deus, & est pater Christi, vt hominis. Similiter non est dicendum sine explanatione, quòd Christus, quæ homo, sit Filius Spiritus sancti: idque ab aliam causam, scilicet ne videatur significari Spiritum sanctum, officium paternum in formanda humanitate, præstitisse, non enim formauit vt pater, sed vt creator. Et ideo Conc. Tolertanum vndecimum loco cit. & Augustinus cap. 38. Enchiridij negant I E S V M dici posse Filium Spiritus sancti, quamuis alio sensu, iuxta suprâ dicta possit admitti.

Christus, quæ homo, potest dici Filius naturalis totius SS. Trinitatis.

An, & quomodo, Christus, ut homo, sit dicendus filius sui, vel spiritus sancti.

Dices Quarto; Christus, ut homo, est creatura: ergo Filius adoptiuus. Respondeo Negando Consequentiam: quia Filius adoptiuus excludit vnionem naturalem cum diuinitate, non autem ratio creaturæ eam excludit.

Obiectio. Solutio. Cur Christus, ut homo, potius dicatur creatura, quam adoptiuus.

Dices Quintò; Si Spiritus sanctus fieret homo, esset Filius Dei; non naturalis: ergo adoptiuus. Respondeo; esset Filius naturalis, non æternâ generatione, sed communicatione diuinitatis per vnionem hypostaticam cum humana natura.

Q V Æ S T I O X X I V.

De Prædestinatione Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Virum Christo conueniat esse prædestinatum?

1 Conclusio est affirmans.

Respondetur; Christus verè & propriè est prædestinatus. Ratio est; Quia vnio naturarum in Christo cadit sub æternam Dei prædestinationem. Atqui Christus significat hoc com-

positum constans vnione naturæ humanæ cum diuina persona: ergo est prædestinatus: eadem enim prædestinatione prædestinatur causa formalis vel quasi formalis, & effectus eius: atqui Christus est veluti effectus formalis vnionis: ergo &c.

Dices Primò, Id quod est æternum, non prædestinatur: Christus est æternus: ergo &c.

Respondeo; Id, quod est æternum, quâ parte æternû, non prædestinatur; vt rectè Augustinus tract. 105.

Christus, ut Christus, non est æternus, sed formaliter includat naturam humanam

tract. 104, in Ioannem, quia non potest præueniri actu prædestinantis. Christus autem est æternus; non quatenus Christus; (hoc enim formaliter includit naturam humanam) sed quatenus Verbum Dei. Vnde is, qui ab æterno est Verbum Dei, & in tempore capit esse Christus, potuit prædestinari, vt esset Christus. Et sic absolute verum est, Christum esse prædestinatum.

Obiectio.

Dices Secundò; In omni destinatione & prædestinatione, debet esse obiectum, scilicet id quod destinatur & prædestinatur; & terminus, scilicet id, ad quod destinatur: hic autem non videtur esse terminus.

Solutio.

Respondeo; Cum aliquid simplex absolute dicitur prædestinatum, ipsum esse, seu existere actu, est terminus. Itaque Christus, quatenus erat in potentia diuina, prædestinatus est ad esse actu in tempore secundum naturam humanam: hoc enim est maximum donum supernaturale. Dixi, Quando aliquid simplex prædestinatur, debere esse terminum prædestinationis; Quia, quando id, quod prædestinatur, est complexum, includitur terminus: vt cum dicimus, Christum esse hominem est prædestinatum.

Cur Verbum Dei non potest dici absolute prædestinatum.

Hinc patet Primò; Cur Filius Dei, seu Verbum diuinum non possit dici absolute prædestinatum, sicut Christus. Ratio est; Quia non solum ipsum esse est æternum; sed etiam quia eius esse includitur in intrinseca ratione eius; ita vt nullo modo esse actu possit separari à Verbo; ac proinde non potest esse terminus ad quem destinatur. Confirmatur; Quia obiectum prædestinationis solum est in potentia ad suum terminum; & per ipsam prædestinationem, que est actio libera mentis diuine, ordinatur ad esse actuale sui termini, & in tempore recipit illud: Verbum autem diuinum non potest esse in potentia, nec accipere esse actu per operationem liberam, sed solum per generationem æternam, quæ est operatio naturalis & necessaria.

Patet Secundò, Verbum rectè dici prædestinatum, vt sit homo, & Christus. Quia sicut in tempore Verbum capit esse homo, & Christus, per mutationem sibi extrinsecam; ita ab æterno potuit ad hoc prædestinari per prædestinationem solius humanitatis Verbo vniendæ; sic vt hæc prædestinatio secundum totum esse suum sit extrinseca Verbo, & intrinseca soli humanitati.

Quod proprie sit obiectum, & quis terminus prædestinationis Christi.

Vnde obiectum prædestinationis propriè hinc non est Verbum secundum se, sed secundum naturam humanam, seu Verbum, vt homo: terminus autem, ipsum existere actu humanæ naturæ in Verbo.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus, vt homo, sit prædestinatus, vt sit Filius Dei

3 Hic Articulus proponitur propter locum Apostoli ad Rom. 1. v. 4. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute. Vbi dicitur textus Apo. I. Rom. 8. ad Ephes. 1. v. 5. Act. 4. & alibi: (quod verbum

est Filius Dei in virtute. Vbi dicitur textus Apo. I. Rom. 8. ad Ephes. 1. v. 5. Act. 4. & alibi: (quod verbum

est Filius Dei in virtute. Vbi dicitur textus Apo. I. Rom. 8. ad Ephes. 1. v. 5. Act. 4. & alibi: (quod verbum

est proprium Theologiæ, vt inquit Dionysius c. 5. De diuinis nominibus) sed habent hoc loco op. d. v. r. o. : quod dupliciter exponitur: Primò, qui est definitus Filius Dei; ita Origenes & Tertullianus contra Praxeam: Secundò, qui est declaratus Filius Dei; vt Chrysostomus, Theophilactus, & multi recentiores; & passim Græci. Et iuxta hanc expositionem cessat omnis quaestio; nam contextus Apostoli est clarissimus. Verum, quia verbum op. d. v. r. o. non significat in Scripturis declarare, sed definire, mente destinare &c. vt patet Act. 2. v. 23. definito Concilio, &c. Græcè, ὁρισμένη βουλή, &c. 17. v. 26. definiens statuta tempora, ὁριστας προτεταγμένων καιρῶν. & ibidem. v. 31. in Viri in quo statuit: ἐν ἐνδύσει ὁ ὁρισται: ideo melius nostra Vulgata editio exponit ὁρισται, quasi esset ὁρισται, id est, qui prædestinatus est: Nā omnis Destinatio in Deo; est prædestinatio, cum ab æterno antecedit omnes res. Ita legant omnes Latini.

Aduerte Secundò; iuxta hanc lectionem, esse varias expositiones. Sed præcipuæ duæ sunt: Prior est; Qui prædestinatus est, vt sit Filius Dei, scilicet quoad manifestationem & externam ostensionem; quia secundum phrasim Scripturæ res dicitur fieri, quando manifestatur, & apertè suas functiones obit. Patet ad Philippenes 2. v. 9. Donauit illi nomen, quod est super omne nomen: hoc est, Dedit, vt diuinitas illius esset manifesta, & ab omnibus haberetur Deus. Matth. 28. v. 18. Data est mihi omnis potestas. Apoc. 5. v. 12. Dignus est Agnus accipere diuinitatem &c. Ita Commentarius, qui adscribitur Ambrosio; & Glossa; & Durandus dist. 7. q. 3. estque valde probabilis; nec in re differt ab expositione Græcorum. Accedit Anselmus & D. Augustinus in expositione inchoata in Epistolam ad Romanos, & iuxta hanc cessat etiam omnis quaestio. Secunda expositio est; quæ Christus, vt homo, dicitur prædestinatus ad filiationem diuinam: quo modo explicat multis locis D. Augustinus & multi Doctores in 3. dist. 7. & iuxta hunc sensum est quaestio articuli.

Prædestinari idem quoad manifestationem & externam ostensionem; quia secundum phrasim Scripturæ res dicitur fieri, quando manifestatur, & apertè suas functiones obit. Patet ad Philippenes 2. v. 9. Donauit illi nomen, quod est super omne nomen: hoc est, Dedit, vt diuinitas illius esset manifesta, & ab omnibus haberetur Deus. Matth. 28. v. 18. Data est mihi omnis potestas. Apoc. 5. v. 12. Dignus est Agnus accipere diuinitatem &c.

Alia acceptio vocis Prædestinatus, quæ Christus, vt homo, dicitur prædestinatus, vt sit Filius Dei.

Respondeo, & Dico Primò; Humana natura rectè dicitur prædestinata ad vnionem hypostaticam cum Filio Dei. Ita Scotus dist. 7. q. 3. & Durandus ibidem. Colligitur ex D. Augustino de Prædestinatione Sanctorum cap. 15. Prædestinata est ista humana natura tanta & tam sublimis subiectio, vt quo altius attolleretur, non haberet. Ratio est: quia humanitati hæc gratia vnionis collata est in tempore: ergo ab æterno ad illam est prædestinata.

4 Humana natura rectè ad diuinam prædestinata ad vnionem hypostaticam.

Dices; Naturæ non est prædestinari ad gloriã: ergo neque ad gratiam vnionis.

Respondeo Negando Consequentiam: Quia gratia vnionis primo conuenit naturæ (hæc enim vnitur Verbo) non Personæ. Vnde solius naturæ est ad hanc gratiam prædestinari. Sed contemplari Deum, quod est gloria cælestis, non est naturæ propriè, sed Personæ: vnde Persona ad hanc prædestinatur.

Dico Secundo; Christus verè & propriè est prædestinatus ad gratiam sanctificantem, ad gloriam, ad dignitatem capitis, ad Sacerdotium, & similes dignitates: quamuis hæc non sint primarius terminus prædestinationis.

Christus propriè est prædestinatus ad gratiam, gloriam, &c.

Probatur Primò, Actorū 10. v. 42. vbi Christus dicitur constitutus Index viuorum & mortuorum Græcè ἑπιπέμπος, id est, destinatus: ergo prædestina-

destinatus; nam destinatio Dei est prædestinatio. 1. ad Corinth. 2. v. 7. Loquimur Sapientiam, quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram. Sapientiam, id est, Christum, eiusque mysteria.

Probatur Secundò, Ex D. Augustino tract. 105. in Ioan. in illa verba: Clarifica me Pater. Intellegamus, inquit, prædestinationem claritatis humanae, qua in illo est natura, ex mortali immortalis apud Patrem futura: & hoc, iam prædestinando factum fuisse antequam mundus esset, quod in mundo etiam suo tempore fieret. Vide sequentia, ubi probat cõtra quosdam rectè dici ita prædestinatum. Et cap. 15. lib. de Prædestinatione Sanctorum dicit fuisse prædestinatum, ut esset caput nostrum. Et ratio evidens est: nam Christus ab æterno ad hæc omnia est ordinatus, & hæc per absolutam Dei voluntatem sunt ei præparata: ergo cum ad ordinem gratia pertineant, sunt prædestinata.

Obiectio. Dices: Hæc omnia sequebantur ex vnione hypostatica: ergo non autè fuerunt prædestinata.

Solutio. Respondeo, non sequebantur emanatione naturali & physica, sed morali tantum. Vnde non tantum fuerunt prædestinata in radice, sed etiam secundum se: nam propria & peculiaris operatio Dei necessaria erat, ut hæc conferrentur. Vnde etiam oportet intelligere speciale decretum ab æterno.

6 Dico Tertio, Christus præcisè, & formaliter consideratus ut homo, potest dici prædestinatus, ut sit Filius Dei naturalis. Ita D. Thomas hoc loco, ex D. Augustino de Prædest. sanctorum c. 15. & tract. 105. in Ioannem. Idem sentiunt multi Doctores dist. 7. D. Bonaventura, Richardus, Scotus. Ratio est; Quia, ut dictum est 1. parte q. 36. a. 4. in simili; hic homo, præcisè & formaliter consideratus, non includit determinatè hanc vel illam substantiam; sed solum generatim subsistens in hac humanitate, qualiscumque demum sit illa substantia. Vnde tale ducitur argumentum: Christus, quatenus formaliter est hic homo, non includit esse Filium Dei naturalem, quia posset esse Pater vel Spiritus sanctus, vel persona creata, & tamen esset idem homo: ergo est prædestinatus, ut sit Filius Dei naturalis. Patet consequentia; Quia in tempore factum est, ut hic homo esset Filius Dei: ergo ab æterno prædestinatus est, ut sit Filius Dei. Et hæc est summa & primaria prædestinatio Christi, secundum D. Thomam: nam terminus eius est summæ excellentiæ, vnde ceteræ omnes perfectiones eius dependent.

Obiectio. Dices Primò; Si Christus, ut homo, est prædestinatus ut sit Filius Dei: ergo Verbum est prædestinatum, ut sit Filius Dei. Similiter ergo Christus est prædestinatus ut sit Filius Dei.

Non sic Verbum, vel Chri. Respondeo, Negando Consequentiam: Quia sicut potest esse Filium Dei, intrinsecè includitur in conceptu dici prædestinatus, Verbi, & Christi; non tamen in conceptu huius hominis formaliter considerati. Vnde hic homo, seu, ut sit Filius Dei, Verbum, & Christus, quatenus hic homo, potuit præficut potest destinari, ut sit Filius Dei.

Obiectio. Dices Secundò; ergo hic homo est Filius Dei ex prædestinatione: ergo voluntate liberà, & non naturà.

Respondeo: Hic homo formaliter consideratus, habet ex prædestinatione & voluntate libera, quod sit Filius Dei naturalis; quia per prædestinationem definitum est, ut subsistens in hac humanitate, esset ipse Filius Dei.

Dices Tertio; Hic homo non est factus Filius Dei: ergo non est prædestinatus Filius Dei. Antecedens patet ex dictis supra. Patet consequentia; Quia quod in æternitate est prædestinatum, debet in tempore esse factum.

Respondeo, Negando Consequentiam. Quia esse factum significat actionem realem externam, & ideo supponit suppositum, quod sit tale vel tale; supponit inquam, ut est à parte rei, non ut concipitur. Suppositum autem quod est in Christo, ex parte rei non est factum Filius Dei, sed ab æterno fuit.

Sed cum dico: Hic homo est prædestinatus Filius Dei, prædestinatio significat actum mentis, quæ concipit tamquam distincta, ea quæ in re non distinguuntur. Vnde potest concipere subsistens in hac humanitate indeterminatè, illudque ordinare ut sit tale subsistens, nempe Filius Dei.

Ad probationem; Prædestinatum est, ut hic homo esset Filius Dei; non autè ut fieret Filius Dei: vnde etiam in tempore non debebat fieri Filius Dei: sed contrà, Filius Dei debebat fieri hic homo; ut enim hoc fieret, erat prædestinatum: ex quo confectum est, ut hic homo esset Filius Dei, quod etiam erat prædestinatum.

Dices Quarto; Christus, quæ homo, non est Filius Dei naturalis seu consubstantialis: ergo Christus, ut homo, non est prædestinatus, ut sit Filius Dei naturalis.

Respondeo, Negando Consequentiam: Aliud enim est ratione naturæ humanæ esse prædestinatum ad aliquid, & aliud ratione naturæ humanæ esse Filium Dei. Prædestinatio enim conuenit Christo ratione naturæ humanæ; nõ tamen æterna filiatio: nam hæc conuenit ratione diuinitatis. Vnde Christus, ut homo, est prædestinatus ut sit Filius Dei naturalis; non tamen ut homo, est Filius naturalis. Vide D. Thom. ad 1.

8 Circa prædicta; Aduertendum est, non ita propriè dici, quod Hic homo sit prædestinatus Filius Dei æternus: quia hic homo propriè fimitur pro supposito, quando est subiectum propositionis. Deinde, quia hæc propositio est omnino indirecta; & ideo solum vera, quia prædestinatum est, ut Filius Dei esset homo. Et minùs propriè dicitur, quod Christus, vel Filius Dei, quatenus est homo, sit prædestinatus, ut sit Filius Dei; Quia Christus includit determinatum suppositum, quod naturaliter est Filius Dei: ergo non potest ad hoc propriè prædestinari, etiamsi consideretur ut subsistens in natura humana. Vide Durandum dist. 7. quæst. 3.

ARTICVLVS III.

Vtrum Prædestinatio Christi sit nostra Prædestinationis exemplar?

9 Respondetur, Christi prædestinationem esse exemplar nostræ prædestinationis. Est cõmunis sententia DD. in 3. Alberti, Durandi, Paludani dist. 10. Bonaventuræ dist. 11. Hallensis 3. p. q. 3. memb. 5. & est sententia D. Augustini de Prædestinatione sanctorum c. 15. De Bono Perseuerantiæ c. vltimo.

Probatur, Ad Romanos 8. v. 29. Quos præseruit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui quem

In quo est
scilicet con-
formitas
prædestina-
torum ad
imaginem
Filij Dei.

quem locum, etsi quidam intelligant de conformitate cum Filio Dei, quatenus filij adoptiui debent conformari filio naturali, vt D. Thomas, Sasbout, & quidam alij in illum locum: Tamen rectius exponitur de conformitate cum Filio hominis in gloria. Ita Origenes, qui per *Imaginem Filij* intelligit Animam Christi: Chrysostomus, Theodoretus & passim Græci. Anselmus & Glossa ordinaria. Quod patet etiam ex verbis sequentibus, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus: est autem primogenitus in multis fratribus, vt homo: nam vt Deus, est primogenitus ante omnem creaturam.

10
Triplex
est exem-
plar nostra
prædesti-
nationis.

Aduerte, Christi prædestinationem tribus modis esse exemplar nostræ prædestinationis. Primò, Ratione termini principalis: quia Christus vt homo, prædestinatus est vt sit Filius Dei naturalis; vt dictum est Articulo superiore: Nos autem prædestinamur vt simus Filij Dei adoptiui; vt patet ad Ephes. 1. vers. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum, in ipsum.* Filius autem naturalis est exemplar filiorum adoptionis. Secundò, Ratione modi: Quia sicut humanitas Christi prædestinata est ad hanc dignitatem omnimodò gratis, nullis suis meritis præcedentibus: ita & nos omnino gratis prædestinamur ad dignitatem filiorum. Et hos duos modos habet D. Thomas. Tertius addi potest ratione termini secundarij, quòd Christus est prædestinatus ad gloriam, quæ est exemplar gloriæ omnium hominum sanctorum. Et hoc videtur Apostolus significare voluisse ad Rom. 8. nam videtur loqui de conformitate gloriæ, vt dictum est. Est autem gloria Christi exemplar gloriæ nostræ, non solum quia per gloriam & vitam beatam Christo conformamur tanquam perfectiori: nam sic etiam gloria B. Virginis est exemplar gloriæ nostræ: Sed quia Deus in prædestinatione hominum, respicit ad gloriam Christi tanquam ad perfectissimum opus gratiæ suæ: intendens illos efficere Christo similes, & eius coheredes. sicuti pictor qui in depingendis imaginibus intendit eas assimilare perfectissimo exemplari, quod sibi proposuit. Simili modo Resurrectio & gloria corporis Christi, est exemplar nostræ resurrectionis: ad Philipp. 3. vers. 21. *Qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ.* Et ratio est: Primò, Quia in quocumque genere id quod est primum, conuenienter est exemplar reliquorum: Christi autem prædestinatio est prima, saltem inter prædestinationes hominum, & omnium excellentissima: ergo, Secundò, Quia hic ordo rerum est conuenientior, & magis declarat Dei sapientiam; & hic honor quodammodò debetur Christo Domino: vt sicut exemplar vitæ ipsius est exemplar vitæ nostræ: ita gloria ipsius, sit exemplar gloriæ nostræ.

Quomodo
gloria
Christi sit
exemplar
gloriæ
nostræ.

Dices, Gloria Christi est quid creatur extra Deum: ergo non potest dici exemplar prædestinationis nostræ: quia Deus non vitur exemplari externo, sicut pictor, sed ideâ. Respondeo, Ipsa gloria Christi etiam representatur in idea diuina; sicuti imago externa, quam intuetur pictor, representatur in exemplari intrinseco, quod est in mente pictoris: & sic vtrumque est suo modo exemplar.

11
An res
creata pos-
sit esse ex-
emplar
directum
Dei.

Dices, Gloria Christi est quid creatur extra Deum: ergo non potest dici exemplar prædestinationis nostræ: quia Deus non vitur exemplari externo, sicut pictor, sed ideâ. Respondeo, Ipsa gloria Christi etiam representatur in idea diuina; sicuti imago externa, quam intuetur pictor, representatur in exemplari intrinseco, quod est in mente pictoris: & sic vtrumque est suo modo exemplar.

Adde: Si comparentur effectus Dei inter se, vnus dicitur esse exemplar alterius: quia voluit Deus vnus esse ad imitationem alterius; non quòd ipse indigeat tali exemplari, sed vt res inter se essent optimè ordinatæ; & aliæ ad alias haberent quandam excellentiam, sicut exemplar ad exemplatum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum prædestinatio Christi sit
caussa nostra prædestina-
tionis?

Respondetur Affirmatiuè. Notandum Primò, Ex dictis in 1. parte: Cum quaeritur de causa prædestinationis, nõ quaeritur, An actus ille mentis diuinæ secundum suam substantiam habeat aliquam causam: manifestum enim est non habere, quia est ipsa diuina essentia. Sed quaeritur, An sit aliqua ratio terminationis illius actus; id est, cur ad hunc vel ad illum actum terminetur; vt ibi dictum est.

12

Notandum Secundò, Christi prædestinationem tribus modis esse causam nostræ prædestinationis. Primò, Meritoriam: Christus enim prædestinatus meruit nobis prædestinationem, & facultatem peculiarem Dei æternam quo saluamur. Secundò, Exemplarem. Et hi duo modi iam sunt expositi. Prior quidem quæst. 19. art. 4. dub. 15. num. 53. Posterior verò articulo superiore. Tertio, Finalem, de quo iam breuiter dicendum.

Christus
est causa
Meritoria
exemplaris
& finalis
nostræ
prædesti-
nationis.

Itaque quòd Christus sit causa finalis nostræ prædestinationis: Probatum Primò, Ad Ephes. 1. vers. 5. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per IESVM Christum in ipsum:* id est, per meritum ipsius, ad gloriam eius; Græcè, *eis iaurèv, in seipsum.* Ad Coloss. 1. vers. 18. *Vt sit ipse in omnibus primatum tenens.* Probatum Secundò, & redditur ratio: Quia quicquid gratiæ Deus operatur in hominibus, ordinatur etiam in gloriam Christi: ergo hæc gratia est prædestinata nobis in gloriam Christi. Antecedens patet ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi dicitur: *Gloria Christi & Dei esse causa finalis nostræ iustificationis.* Consequentia Probatum, Id quod in tempore datur, ab æterno fuit preparatum: preparatio autem gratiæ æternæ, est prædestinatio. Item, Quia Deus propter dignitatem personæ Christi & meritum eius, ordinauit vt hominum redemptio, sanctitas, & gloria cederent in gloriam & honorem Christi. Patet Psalm. 2. vers. 8. *Postula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam:* & ad Philip. 2. vers. 9. *Propter quod & Deus exaltauit illum &c. vt in nomine IESV omne genu flectatur &c.* Hinc Christus hominum conuersionem, suam vocat clarificationem. Ioannis 12. vers. 23. *Venit hora vt clarificetur Filius hominis,* quia videlicet tunc gentiles credere incipiebant: & Ioan. 17. vers. 1. *Clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te;* scilicet, te patefaciendo hominibus. Vide D. Augustinum Tra&. 16. 52. 104. in Ioannem. Cyrillum l. 11. cap. 15. D. Thomam his locis.

Probatum
hic specia-
tim quòd
sit causa
finalis.

Nn QVÆ.